

Paqen = dte

- 10 -



Roberg | Laur. | de Piscibus, Upsal. 1727.

Thilo G. de generatione Piscium 667.

Linnaei, Caroli, Amphibia Gyllenborgiana 745.

_____ " Corallia Baltica, 745.

_____ " Nova Plantarum genera 745.

_____ " Surinamensis Githiana 748.

_____ " Crystallorum generatio 747.

_____ " Hortus Upsaliensis. 745.

Wallerius, J. G. de historid naturalis usu medico, 740.

Linnaei Museum Adolpho-Fridericianum 746.

Pfeffer G. C. de Pipere. 740.

Ziegra Const. de Zoophytis. 667.

Arnoldus, G. de Zoophytis 670.

Goetz, G. H. De eruditis Hortorum Cultoribus 726.

damm
Klausning, J. Docta et dissimulata quarundam re-
rum ignorantia cum simulata aliorum scientia
collata 701.

Tepius, J. F. de amputatione femoris non cru-
enta. 742.

Hulmi, J. A. De Infantis post matris obitum par-
ta 742.

Pircherod, Th. B. Historia naturalis quatuor
Cottarum bubularum, quibus quid superinducta
caro fuerat, in verisimum os est conversa.
723.



AB # 72

(1/18)



PAP. ROSE ZBRIN

B

Universitäts- und Landesbibliothek
Zweigstelle
Sektion Biowissenschaften / Botanik
DDR - 402 Halle (S.), Am Kuehner 4

UNIVERSITÄT

B



11



PIPERODENDRUM.



DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS

DE

PIPERE

QVAM

GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

CONSENSV

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MEDICINAE DOCTORE

SEREN. DVCIS BRVNSV. ET LVNEB. A CONSILIIIS AVLICIS
ET ARCHIATRO MEDICINAE CHIRVrgIAE ET BOTANICES
PROFESSORE PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS.

NEC NON REG. LOND. ET BEROLIN.

COLLEGA

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO

IN ARTE MEDICA AETERNVM DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUVETIS

DEFENDET

GEORGIVS CONRADVS PFEFFER

ONOLDINVS

D. XXVII. SEPTEMBR. MDCCXL.

HELMAESTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA.

*celebr. Klein
Pfeffer*

DISSERTATIO MEDICA UNIVERSITATIS
DE
P I P I R E R E

GRATIOSISSIMAE FACULTATIS MEDICAE
CONSENSU

P R A E S I D E
LAVRENTIO HEISTERO

CHIRURGIAE DOCTOR
SERENISSIMO ELECTORI ET LITVÆ APOSTOLICÆ
ET ARCHIEPISCOPO MEDICINAE CHIRURGIÆ ET BOTANICÆ
PROFESSORI, REGNI ACAD. CAESAR. NAT. CURIOS.
SOCIET. REG. LOND. ET BEROLIN.

COLLEGI
PATRONO AC RECEPTORÆ
IN ARTE MEDICÆ CURIOSUM PERSECRANDUM
PRO GRADU DOCTORIS

IN LITVÆ MAIORI
HABITANTE ET PATE. RESIDENS
DETINENT
GEORGIUS GRADYS PRÆFECTUS

ORDINIS
D. KARL WILHELM VON BOCKH

BY CYRILLUS BOGOLIAN





PR AEFATIO.



Tiamfi *Piper* res five aroma u-
nicuique et ubicunque terra-
rum fit notissimum, atque mul-
tiplicis admodum ac frequen-
tis, tam in rebus oeconomicis
et cibariis, quam in Medicina
usus, atque in stupenda quanti-
tate singulis annis ex India in
Europam & speciatim quoque
patriam nostram transferatur, tamen quid proprie
sit, five cuius plantae productum, aut, ut clarius me
explicem, quibus notis characteristicis ea planta,
unde provenit, gaudeat, vix adhuc, licet quam plu-
rimi in hanc rem magno labore inquisiverint, adeo
perspectum aut cognitum est, ut omni dubitatione
careat, sicuti hoc quoque de aliis quibusdam exoti-
cis, licet vulgarissimis remediis, ut myrrha, cort. cas-
carillae, chinae, gummi ammoniaco, etc. verum est.
Cumque praeterea eius historia, tam naturalis quam
medica et oeconomica in quam plurimis autoribus
dispersa lateat, mihi que absoluto studiorum meorum
curriculo pro more de argumento quodam apto di-

sputationis publicae cogitandum esset, atque hanc ob causam Clariss. PRAESIDEM, Praeceptorem meum honoratissimum, consulere, hic, quia nomen mihi est a *pipere*, autor fuit, ut ob nominis similitudinem cum nobili hoc et famigeratissimo aromate, de eo ipso meam inauguralem dissertationem describerem, praesertim cum inter tot mille, quas possidet, dissertationes nullam nosset, quae hoc speciatim ventilasset, aut eius historiam in compendio exposuisset. Postquam hoc consilium mihi haud displiceret, sed scriptores, qui de eo egerunt, plerique mihi defecerant, praesertim cum multi eorum et cari et rari sint, eos etiam e Bibliotheca sua mecum communicare, suoque consilio et in ea elaboranda mihi non desse voluit, id quod libere hic profiteri non erubesco.

Divisi vero hanc dissertationem in duo capita, in quorum altero et priori, *historiam piperis naturalem* et quid proprie sit, aut a quibus plantis originem ducat, itemque quae sint eius praecipuae species, et quae sunt eiusmodi plura peruestigare atque exponere studui; In altero autem sive posteriori *usum*, quem generi humano praestat, tam in medicina, quam culina aut re oeconomica enarravi. Neque denique *noxas*, quas eius vel perversus usus vel abusus inducere potest et solet, praetermittere volui, ut sic eius historia sit perfectior; quae tamen omnia concinna, quantum fieri potuit, brevitate, praestare studui. Faxit Deus T. O. M. ut hic labor cedat in Divini eius nominis gloriam, generis humani utilitatem atque in artis medicae honorem atque emolumentum.

CAP. I.

CAPVT I.

DE

PIPERIS HISTORIA NATVRALI.

I.

Quid *Piper* sit, aut quid sub hoc nomine intelligatur, licet res sit, ut iam dixi, omnibus adeo nota, tamen difficile admodum est, definitionem eius genuinam proponere, quia varia ac diversa eius sunt genera, quae prius indicanda erunt, antequam definitionem eius exhibere valeamus: HIPPOCRATI non nisi unicum genus, idque vulgare, notum fuisse verisimile est, quia non nisi piperis generatim meminit sine distinctionis quadam nota, a) THEOPHRASTVS vero *Erefus*, qui Alexandri Magni temporibus vixisse dicitur, iam de rotundo et longo agit, adeoque duo novit. b) Paulo post autem tria innotuerunt, atque iam a longissimis temporibus piperis genera in *nigrum*, *album* et *longum*, ut EX DIOSCORIDE, CELSO, PLINIO, GALENO aliisque videre est, ad quae deinde adhuc alia a recentioribus successu temporis addita sunt, quae etiam non prorsus praetermitteremus. Interea tamen de *Pipere nigro* potissimum hac in dissertatione noster erit fermo, quia hoc est ubique terrarum notissimum vulgatissimum atque usitatissimum.

A 3

II.

- a) Lib. I. de Morb. Mulier. §. CXIX. p. 510. Tom. II. edit. Linden.
 b) Hist. Plantar. Lib. IX. Cap. 22.

II. *Piper nigrum* nobis vocatur aroma, specie baccae nigrae, parvae, rotundae et quodammodo rugosae, saporis acris, fervidi, peculiaris, ut et odoris singularis, ex certis plantis Indiae orientalis proveniens, variis iisdemque quamplurimis usibus, tam in re domestica, quam medica, destinatum.

III. *Piper album* vero est aroma similiter sphaericum instar baccae, aut grani rotundi, non rugosum, sed laeve et albicans, saporis et odoris fere eiusdem, ut nigrum. De reliquis infra dicemus. Antequam vero ulterius in historia piperis proponenda progrediar, de nomine eius quaedam prius dicenda erunt. Nomen *piperis graecae* videtur esse originis atque hac lingua $\pi\acute{\epsilon}\pi\epsilon\eta\iota$, forte a $\pi\acute{\epsilon}\pi\tau\epsilon\iota\nu$ digerere, quia digestionem iuvat, ita dictum, sicuti ex antiquissimis Medicis Graecis HIPPOCRATE, THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, GALENO, aliisque constat, qui hoc nomine usi sunt, quod latini deinde ut ex SCRIBONIO, CELSO, PLINIO aliisque pater, in *piper* mutarunt. Germani vero inferiores et Belgae, imo et Angli, abiecta solum ultima littera, graecum nomen retinuerunt, hocque aroma *Peper* vocarunt; quamvis haud a vero alienum videatur, sicut ipse GALENVS suspicatur, a) nomen hoc, quia Graeci piper ex India per Persas acceperunt, Graecos etiam nomen, quod apud Persas vel Indos habuit, retinuisse vel saltem aliqua mutatione aut transpositione litterarum in $\omega\acute{\epsilon}\omega\epsilon\eta\iota$ five

a) in exegesi ad *Hippocratis* locum supra citatum.

sive *Peper* transmūtasse, a) quemadmodum in variis rebus aliis olim et adhuc hodie fieri solet, ut nomina rerum illa seruent Europaei, aut saltem parum mutant, quae eis in terris, ubi proveniunt, acquiſiverunt, et quae nomina indigena vulgo appellant, sicuti exemplis notissimis *Coffee*, *Theae*, *Cacao*; *hypercocannae* aliisque quam plurimis, si opus, ostendi posset. Ceteri plerique Europaei a nomine huius aromatis, quo Graeci, Latini et Germani usi sunt, non multum recesserunt: nam Italis. *Pepe*; Gallis, *Poivre*; Bohemis, *Pepr*, Polonis *Pieprtz*; Hispanis, qui maxime inter Europaeos recedunt, *Piemienta* vocatur. Qui plures aliarum gentium piperis appellationes nosse vult, ille *MENZELII Lexicon plantarum polyglotton* evolvere potest.

IV. *Piper autem aroma esse*, inde constat, quia aromata dicuntur omnes generis radices, cortices et fructus, praesertim ex India aut calidissimis regionibus allati, qui odorem obtinent admodum fragrantem et haud ingratum, ac *saporem* acrem, suavem et calefacientem, vimque hoc ipso possident calefacientem et roborantem. Dum igitur et *Piper* hasce qualitates obtineat, non dubitamus ipsi locum eumque fere primum inter aromata concedere, praesertim quia hunc locum iam ab antiquissimis temporibus et apud omnes gentes obtinuit, eumque ad haec usque tempora conservavit.

V.

a) *Pimpilim* enim Persis piper longum vocari *Garcias* docet in *Aromat. Histor.*

V. *Locus eius natalis* quamvis fit India eaque cum primis orientalis, et in hac praecipue *Malavar* five *Malabarica* regio, *Molucca*, *Sunda* et *Cuba*, infulis Iavae vicinis, quemadmodum testantur, GARCIAS ab *Horto*, Carol. CLUSIVS, Bodaeus a *Stapel*, five STAPELIVS in *Comment. ad Theophrasti Histor. Plantar.* aliique, tamen Europaeis iam ab antiquissimis temporibus notum adeoque in Europam illatum esse ex supra §. I. dictis, satis constat, quamvis priscis temporibus non tanta, quanta hodie, copia. HIPPOCRATIS tempore iam in Graecia illud cognitum fuisse, patet ex eo, quod illud, quamvis unica tantum, quantum memini, vice nominet atque commendet. a) Apud subsequentes autem Graecos et Latinos Medicos supra iam nominatos aliosque scriptores profanos, qui ante Christum natum et paullo post eum scripserunt, non solum frequentissime nominatur et laudatur, ut iam diversorum quoque eius generum five specierum meminerint, quamvis forte nullus ex ipsis plantas, unde proveniant, unquam viderit, quemadmodum ex infra dicendis et erroribus eorum circa hoc aroma commissis (quorum nonnullos postea indicabimus) uberius fiet manifestum.

VI. Priusquam autem ad haec examinanda progrediar, *de tribus illis speciebus piperis praecipuis*, quae hodie, imo a multis iam seculis notae sunt, nonnulla

a) loco supra iam citato.

la scitu maxime necessaria praemittam. Prima itaque et diutissime nota ea esse videtur, quae *piper nigrum* appellatur, cuius descriptionem iam §. II. dedi, quaeque maxima copia singulis annis a Batavis in Europam perfertur, quae nigra, rugosa et saporis perquam acris atque quasi urentis est. Altera, *piper album* vocatur, cuius grana five baccae magis albicantes, laeves ac splendentes sunt, eiusdem tamen fere ut nigri saporis. Sed de saporis praestantia huius vel illius varii autores disputant: dum plerique albo, alii nigro et fortiolem et praestantiolem saporem adscribunt, ut DIOSCORIDES; quae vero lis difficulter dirimi potest, quia antiquum notum est dictum:

De gustibus non esse disputandum,

adeoque hanc litem nostram non facimus; sed solum hoc affirmamus, quod in utroque satis insignis acrimonia aromatica et fervida, quae *piperacea* dici solet, inhaereat, de qua ob gustantium diversitatem difficile est dicere, utrum in hac an illa fortior, praestantior, aut iucundior sit: adeoque Gallorum hic valet proverbium:

chacun a son gout.

VII. Quaelibet horum piperum species, tam nigra quam alba, ut grana five baccae *in forma racemi*, ad modum fere uvarum, seu rectius, *ribesiorum* crescunt; in multis scilicet, triginta, quadraginta, quinquaginta et plures ex uno communi pedunculo, secundum longitudinem, ut in ribesiis, sed arctius iunctae, prodeunt, et communem pedunculum arcte et

B

undi-

undique cingunt; sed quaelibet bacca est sine pedunculo, arcteq̃ scapo adhaeret, sicuti figurae, quas de piperis fructu habemus, optimae, apud GARCIAM a) CLVSIVM Exoticor. Libr. pag. 19 et 183. itemque apud STAPELIVM Comment. in Theophrast. pag. 1180. Guil. PISO in Mantiff. arom. p. 180. et Hort. Malabar. Part. VII. Tab. XII. ostendunt, praesertim cum antiqui scriptores nullas de eis figuras exhibuerint.

VIII. Sciendum praeterea est, autores *de origine piperis albi* haud convenire. DIOSCORIDES enim existimat, *piper album a nigro non nisi maturitate* discrepare. b) Alii vero existimant, *album a nigro specie non differre*, sed ex nigro arte tantum produci, nihilque aliud esse, quam piper nigrum decorticatum, quando huic vel recenti cortex sive cuticula demeretur nigra, vel quando in aere aut in solis radiis pellicula illa ita exsiccaretur, ut deinde facile a semine vel nucleo decederet, quemadmodum a baccis coffeae exsiccatis, facta ipsarum agitatione, cortex decidere atque inde separari solet. Quidam *ope muriae* corticem inde separari atque sic album ex nigro praeparari perhibent, sed sine ratione. Verum GARCIAS c) et cum eo STAPELIVS contrarium sustinet, docetque d) haec duo piperis genera omnino a *diversis provenire plantis*, quae vero tam parum differrent, ut vitis baccis albis et nigris, quae ante fructus maturos vix distinguui possent, refertque STAPELIVS se a nautis et na-

vi-

a) in Aromatum Historia Lib. I. cap. 22.

b) Lib. II. cap. 189.

c) Lib. modò citato,

d) Lib. citato pag. 183.

vigantibus, qui ex India orientali redierunt utriusque huius piperis ramulos et racemos integros accepisse, baccas maturis onustos, qui illos secum ex India illa attulerant, ubi non solum ex illis intellexit, horum ramulorum plantas, unde eos decerpserunt, re vera diversas esse, et alteras piper nigrum, alteras album, sine omni praegressa praeparatione et sine omni arte proferre, se ipsum quoque quod distinctae sint plantae, ex ipsis illis ramulis satis perspicue cognoscere potuisse, scribitque insuper, se ex illis peregrinantibus intellexisse, baccas utriusque huius plantae principio et quando nondum maturae sunt, virides esse, postea vero illas rubrum, et postquam siccae fiunt, nigrum, has autem album colorem induere, forte sicuti in ribefiis videmus, baccas eorum immaturas omnes virides esse, postea autem quando maturescunt, vel album vel rubrum vel etiam nigrum colorem inducere, pro diverso illarum plantarum sive fruticum genio, quae specie differunt, vel ut aliis magis placeat, tantum unius speciei varietates sunt. Ita ut haec duo piperata quidem ad unum revera genus pertineant, quia sibi invicem et foliis et modo crescendi et baccis, excepto colore, similes sint, adeoque non nisi specie, sicuti ribesia diversi coloris fructibus tantum a se invicem differant, Rariores vero esse plantas piperis albi in India, quam nigri, ita ut in Malavar illud non nisi Magnatum mensis, teste GARCIA, inferatur, qui hoc etiam nigro, aliter quam DIOSCORIDES fecit, multum praefert, libro citato, pag. mihi 89.

capitulum IX. Quamvis itaque haec res, quod scilicet *piper nigrum et album diversarum plantarum fructus sint*, testimoniis virorum, qui in India hoc oculis suis conspexerunt apud STAPELIVM a) probatum sit, atque hi etiam utriusque ramulos cum racemis integris in Hollandiam attulerint, atque sic ea res extra dubitationem his ipsis posita esse plures annos visa sit: tamen aliquamdiu post Guil. PISO in Mantissa arom. pag. 180. cum veteribus (sed sine ulla probatione) rursus voluit *nigrum et album piper unius eiusdemque plantae esse fructus, albumque nihil aliud esse quam nigrum*, ante insolationem decortatum; atque idem fere postea etiam Autor Horti Malabarici, Nobiliss. van RHEDE, in Horti huius Parte VII. pag. 23. affirmavit, dicendo: *cortice piperis nigro ablato, fieri piper album* etc. id nonnullos et cum primis quoque Celeb. Botanicum Amstelodamensem, IO. BURMANNUM dubium reddidit, sic, ut his fere assentiri videatur. Interea tamen ego de veritate huius rei nondum convictus sum, sed e contrario longe mihi verisimilius est, *album non arte parari*, verum, ut GARCIAS et STAPELIVS docuerunt, *a diversis provenire plantis*: quia 1.) nullus illorum dicit, quod hunc decorticandi modum sive actum viderit, neque quomodo is peragatur, describit, neque prae laudati STAPELII argumenta, quibus piper album a peculiari planta provenire probavit, ullo modo refutavit, sed ea, quasi nullus *Stapelius* hac de re scripsisset, sicco pede atque silen-

a) loco citato, p. 1183.

filentio praetereunt, adeoque forte ex vulgi sententia aut ex lectione tantum aliorum ita scripserunt; 2) non indicent a quibus hoc cognoverint vel didicerint, praesertim PISO, qui in India orientali, ubi crescit, non fuit, adeoque non nisi ex relatione aliena hoc evulgavit, vel alios, qui hoc prius ita tradiderunt, ad STAPELIVM, (quem ne quidem nominarunt) non attendendo, secutus est; 3) STAPELIVS e contrario affirmat, a) se non solum a viris fide dignis, qui illis in locis fuerunt, certiozem factum esse, quod piper album ibidem in distinctis plantis viderint, verum etiam integras piperis albi uvas sive racemos, omnibus suis granis onustos, in Hollandiam attulisse, id quod vix aut perquam difficulter fieri posset, si cortice spoliarentur, sine avulsione baccarum a scapo, quam caute etiam quis in eis decorticandis procederet, quia, ut videtur, non adeo tenaciter scapo suo adhaerent. Post lapsum vero aut revulsio- nem earum a scapo nigras quidem, licet non sine magno labore decorticari posse concedo, quia cortex aut cuticula ipsarum, ut facile quilibet experiri potest, grano quam firmissime adhaeret; sed integris racemis, quales STAPELIVS in Hollandiam allatos esse asseverat, hoc minime fieri posse existimo.

X. 4.) Mirum praeterea mihi videtur, quod inter tot mille peregrinantes, qui ex Europaeis in illis regionibus fuerunt, nullus reperiatur vel repertus sit, qui illam decorticandi rationem, praesertim

B 3

quae

a) loc. cit. p. 1183.

quae integris racemis fit, paullo curatius descripserit, vel solum viris fide dignis, quomodo ea, si fiat, perficiatur, fide digna ratione retulerit vel enarraverit, dum ipse adhuc Cl. BURMANNVS solum ad fidem PISONIS et RHEDII provocat, quorum tamen ille in eis locis non fuit, hic vero non ipsum actum perfecte descripsit, sed negligentius tantum atque in transitu quasi, sicut illi facere solent, qui rem non intime perspexerunt, de hac re locutus est, dum in uniuersum tantum scripsit, quod *cortice piperis nigri ablato, album fiat*, sine ulla, quomodo hoc fiat, addita ratione, et utrum hoc fiat in baccis recentibus an exsiccatis; id, quod tamen, quia ab absentibus tam facile concipi nequit, accurati et curiosi naturae scrutatores curatius scire peroptant. Neque dubium est, multos imo quam plurimos eorum, qui ibi fuerunt, hoc scire, vel qui adhuc illuc abeunt, verum facile cognoscere posse; quia sine dubio non clam perficitur, aut perfici potest, dum opus est, cui pro tanta copia decorticanda, quamplurimi homines adhibendi; adeoque verum hac in re cognoscendi adhuc spes est, si modo Batavi curam aliquam eam in rem impendere velint.

XI. 5.) Quod autem RHEDIUS non satis curate, sed potius negligenter de pipere scripserit, inter alia, inde patet, quando asserit, *fructus acinos racematim in petiolo viridi, viginti imo triginta simul provenire*; cum tamen non solum GARCIAS, CLVSIVS et STAPELIVS, sed ipse quoque RHEDIUS in sua figura ultra

tra 50 ad 60 usque acinos exhibuerint et quidem tantum in facie visui exposita; cum sine dubio et necessario adhuc multi in opposito latere existunt, quos pictori ostendere impossibile est, atque sic manifeste ultra dimidium neglexit atque in descriptione, licet figurae prae oculis essent, erravit. 6) Accedit, quod *piper album* a plerisque *ut acrius atque valentius* piperis nigro indicetur; id quod potius diversam speciem, quam quod eadem sit, mihi indicare videtur. Adeoque si non aperte est species diversa, minimum res haec dubia adhuc est et incerta, donec, quid verum, clarius probetur. Vt taceam 7.) quod decorticatione tam exiguorum granulorum, quibus cortex quam tenacissime adhaeret, insignem, diuturnum ac molestum nimis laborem, qui vix operae pretium esset, requiret, quam nemo profecto pro tam vili pretio, quo plus nigro constat, susciperet, praesertim quia ex decorticatione hac non adeo magnum emolumentum, nullaeve maiores vires in ipsum redundant. Verisimilius ergo ex dictis esse credo, *album et nigrum* diversarum plantarum fructus esse.

XII. Quae de *piperis planta* eiusque speciebus *reperiuntur apud veteres* Graecos et Latinos manifeste docent, *plantas*, quae diversas piperis species, imo etiam quae vulgatissimum proferunt, *ipsis*, forte ob locorum distantiam et iter illuc facientium tunc temporis defectum, *prorsus incognitas fuisse*; nam de ea vel nil quicquam referunt, ut HIPPOCRATES, LARGVS, CELSVS; vel falsa, ut DIOSCORIDES,

DES, a) PLINIUS b) GALENUS ceterique Graeci recentiores aliique tradunt: nam DIOSCORIDES, quamvis inter eos, qui de Materia Medica inter veteres scripserunt, princeps sit, *piperis plantam, existimat arborem esse, eamque omnes tres piperis species, maturitate tantum differentes, proferre*, variaque falsa de iis refert; PLINIUS vero arborem piperis *iunipero similem esse*, aliaque absone asseverat, id quod et GALENUS facit aliique veteres: adeoque videntur non nisi rumores incertos et vulgi narrationes vagas secutos esse, nihilque praeterea de foliis, (nisi forte solus DIOSCORIDES, qui ea, ut STAPELIUS dicit, c) Lib. I. Cap. XI. haud prorsus inepte cum *castiae foliis* comparat,) d) floribus aliisque ipsius plantae partibus describunt, nisi de radice, quam vero rursus male costosimilem esse tradit: cum tamen a centum et quod excedit annis, dum scilicet Europaei et praesertim Batavi, navigationes in Indiam Orientalem instituerunt, plantas copiosas, quae piper proferunt, inspexerunt, ramulosque eorum, una cum adhaerentibus fructibus, secum in Belgium reliquamque Europam attulerunt, atque, ut testes autoptae sive oculati, testati sunt ac retulerunt, *piper non arboris esse progeniem*, multo minus arborem iunipero similem, sed a planta quadam fermentosa, volubili ac scandente, ad mo-

a) Lib. II. cap. 189.

b) Lib. XX. cap. VI.

c) libr. citato p. 1180.

d) sed in hoc a *Stapelio* citato loco, libro scilicet I. Cap. XI., neque etiam alibi aliquid apud Dioscoridem de foliis reperire potui.

ad modum lupuli vel hederæ quemadmodum primo GARCIAS, deinde COSTA, CLVSIVS, et postea STAPPELLIVS in libris iam sæpius citatis descripserunt, arboribus aliis adhaerente, atque caulibus tam imbecillis instructam esse, ut suis viribus se erigere aut erectam continere nequeat. Incolas propterea Indicarum regionum, ubi crescit, eam ad radices arborum altarum et cum primis palmarum ac speciatim illius speciei, quam *Fasel* sive *Fausel* appellant, plantare, ut, dum adolescit, se his innectere ac circumvolvere atque sic debito modo crescere queat, id quod ita facere dicunt, ut *ad summa illarum arborum cacumina ascendat*, delineantque etiam duo ultimi *eius radicem*, ut tenuem ac *reptatricem*, et *folia figuræ quasi ovatae, in apice acuminatae*, satis ampla, multisque nervis prædita, quæ caulibus alternatim ope pediculi brevis et crassi adhaerent; *fructus* vero sive racemi potius fructuum aut baccarum ex simili fere brevi pediculo, non ex alis foliorum, sicut hoc in plerisque fieri solet aliis plantis, verum directe ex altero eoque opposito caulis latere, unde folia prodeunt, excrecere: sicuti hoc in prædictis ultimis autoribus legi et videri prolixius potest. His vero RHEDIUS adhuc addit, quod *radix* fibrosa sit et nigricans, licet eam non delineet, *caules* rotundi, virides, lignosi, duri, nodosi, ex nodulis novos hinc inde cauliculos eiicientes; folia brevibus crassis, viridibus et interius striatis, petiolis ex nodulis erumpunt, oblongo rotunda, antè cuspidata, textura crassiori et solida, superficie plana, viroris anteriori parte fusci et nitentis,

C

tentis, exteriori clari. *Flores* spicati, in petiolis viridi dilutis, *monopetali*, circa extrema tripartiti, (quos etiam delineat); Gemmae viridi dilutae et flavescens, intus acinum parvum, viridem et in vertice nigricantem, rudimentum fructus habeant. De baccis praeterea notat, quod primum sint virides, et aequali superficie, deinde rubrae; sed ad maturitatem perductae ac decerptae, solique per aliquot dies expositae, nigrescant, nascique per totam Malabariam.

XIII. Apud eosdem etiam scriptores icones quoque exhibentur *plantae piperis longi*, quod Graeci *μακροπέπερι* appellant, quam nonnulli nimis quantum a piperis et nigri et albi plantis differre crediderunt: a) Verum GLYSIVS, STAPELIVS, PISO et RHEDIVS libris citatis, ostendunt, quod *in modo crescendi et foliis* vel nulla, vel admodum exigua intercedat differentia, ita ut folia in hoc tantum sint paullo teneriora et dilutiore viriditate praedita, pluribusque insignita nervis; *in fructu autem multum differunt*, cum *fructus piperis longi* non ex baccis racematim, in morem scilicet ribesiorum cohaerentium, compositus sit, *sed ad modum iulorum*, quales corylus et betula proferunt, in quorum iulorum tuberculis parva granula, granis piperis nigri et albi longe minora, sed papaveris, sinapi aut milii feminibus magnitudine tantum similia contenta sunt. *Hi vero fructus eundem fere habent saporem*, ut piper rotundum,

a) ut *Garcias* ab Horto, Libr. citato.

dum, ita ut ab omni tempore et planta, et fructus piperis nomine insigniti et pro specie solum a nigro et albo diversa habiti fuerint atque adhuc hodie habeantur. *Patriam* etiam habet diversam quam rotundum, atque in *Bengala*, quae regio longissime a Malabarica distat, ipsum crescere GARCIAS, CLYSIVS, STAPELIVS, BLANCARDVS, a) aliique plures nos certiores faciunt. Interea tamen RHEDIVS refert, b) quod multis etiam aliis in locis colatur, ubi prolixior quoque descriptio videri potest.

XIV. *Atque hae sunt piperis veteribus notae species*, quas tam in Medicina, quam in cibus ac culina ab antiquissimis temporibus semper usi sunt: *tandem vero adhuc alios fructus et plantas*, variis ex regionibus exteris, per naves in Europam invexerunt, inter quas praecipue hic nominare placet *piper*, *aethiopicum* dictum, *Matthioli* et *Casp. Baubini* sine dubio ex Aethiopia primum ad nos delatum; deinde *piper*, vulgo *hispanicum* olim appellatum, quod ex America primum quondam advectum, postea copiosissime in Hispania coli et in varios usus, tam medicos, quam cibarios ibidem adhiberi, MONARDVS c) et ex hoc CLYSIVS, locis supra citatis referunt: quod vero, quia planta ipsius et fructus nulla fere in re cum ceteris piperibus, quam sapore qualicumque piperato et viribus convenit, foliis vero, floribus, fructibus,

C 2

a) in Lexico suo Medico.

b) Hort. Malab. Part. VII. p. 27.

c) in Histor. Medicam. simplic. novi orbis, pag. mihi 386.

modo crescendi erecto, magnitudine, (dum duarum triumve palmarum altitudinem vix excedit) aliisque qualitativis mirum in modum differt, *Capficum* recentioribus Botanicis, (forte quia semina in singulari capsula profert,) appellatur, quod figura fructuum, qui proprie baccae non sunt, sed capsulae membranaceae fabricae et siccae, semina parva, multa, alba, compressa, fere reniformia, acerrima in amplo vacuo spatio continentes, capsula sphaerica sive rotunda, acuminata, obtusa, cordiformi, trifida, dependente aut erecta, vel sursum spectante, recta et curva, modo parva et cerasi magitudinem vix excedente, modo magna, ut trium pollicum magnitudinem superaverint, coloris grate rubicundi, flavi vel aurantii, quando fructus maturus est, valde variat et quasi ludit, ita ut Hortus Medicus Helmstadiensis dum PRAESES ipsi praefuit, ultra viginti diversas species, aut, si mavis varietates aluerit, demonstraverit, atque plerasque adhuc exhibeat. MONARDVS plantam excellentissimam vocat, toti Hispaniae notissimam, aliique magnas etiam laudes ipsi tribuunt.

XV. Interea tamen, ut MONARDVS a) et CLVSIVS b) quoque referunt, in toto Americae continentis tractu, in quo nata Carthago et etiam in novo regno, *magnum usum esse piperis cuiusdam oblongi*, quod etiam delineant, et quod maiori acrimonia praeditum est orientali, magisque aromaticum et iucundiori

a) Lib. citato pag. mihi 385.

b) Lib. exoticor.

diori odore quam capficum, quin etiam praefertur piperi nigro, cum faporis, tum virtutis cauffa. Ipfum altae cuiusdam plantae fructum effe, craffitie funiculi, at dimidii pedis longitudine, constantem veluti multis granulis, circa pediculum oblongum, continuo et coniuncto ordine difpofitis, feminis plantaginis modo, quibus ademtis pediculus nudus confpicitur, qui recens quoque viridis eft, fed maturus nigrefcit. Ex *lamaica*, Americae nobili infula, etiam ab aliquo tempore in Angliam atque inde in Belgium aliasque regiones novum piperis genus, faporis admodum grati et aromatici, odorisque vulgari longe fragrantioris et fuavioris advexerunt atque adhuc advehunt Angli, quod vulgo *Piper lamaicum* aut *lamaicense*, five de *lamaica* appellant. Ita et in Horti Malabar. Part. VII. variae alias incognitae piperis species enarrantur et delineantur, aliaeque rurfus a Cel. SLOANEO in Catal. Plant. lamaic. et Hift. natural. lamaicae, rurfusque alia Zeylanica piperis longi species a Cl. BURMANNO in Thef. Zeylan p. 193., quam etiam ibid. Tab. 83. fig. 2. delineatam exhibet, nomine *Piper*, qui faururus *foliis feptinerviis, oblongo acuminatis*, et denique alia a Cel. LINNAEO nomine, *Piper foliis cordatis, caule procumbente*, in Hort. Clifff. p. 6. tab. IV. Verum de his omnibus, quia minus ufitatae et cognitae funt, brevitatis cauffa plura non dicam, fed curiofum lectorem ad indicatos autores ablegabo et inprimis etiam ad RAII Hift. Plantar. T. II.

XVI. Vnum autem, quod ad piperis hiftoriam
 C 3 natu-

naturalem mihi adhuc pertinere videtur, praetermittere non possum, nimirum quod in *Horto Medico Helmstadiensis arbuscula alatur exotica*, quae viri altitudinem nunc superat, cuius foliorum odor et sapor cum pipere vulgari perfecte conveniunt; sed figura aliisque rebus a piperibus reliquis quam maxime differt. Folia enim huius non sunt simplicia, ut in ceteris, neque ovata aut subrotunda, verum *pinnata* five *pinnata*, uno in extremo longiori, et serrata, fere ut in arbore, quae *Molle Americanis*, teste MONARDO a) appellatur, quod nomen et CLUSIVS, b) RAVIVS, TOURNEFORTIVS, BOERHAVIVS aliique egregii Botanici retinent, LINNAEO autem, Botanico recenti, nomen hoc adeo receptum mutare placuit, nescio an satis apte et utiliter, eique in *Horto Cliffortiano* pag. 483. *Schinus* foliis ferratis impari longissimo dicitur, sed SEBAE, in *Thesauro suo rerum naturalium*, *Lentiscus Africana* Tom. I. p. 7. t. 5. fig. 5; verum quod notandum nostrae arbusculae folia, quamvis sint pinnata, foliola tamen lateraliter non semper e diametro sibi invicem sunt opposita, c) verum in foliis quibusdam opposita; in aliis vero alterna, extremum vero claudit foliolum impar ceteris quoque, ut in *Molle*, plerumque, sed non semper, longius, omniaque haec foliola leviter quoque sunt serrata, et grate virentia, quae digitis trita, odorem piperis quem exactissime referunt, quo ab arbo-

a) libr. cit. ubi etiam icon eius pag. mihi 360 exhibetur.

b) qui quoque iconem eius sistr. Lib. Exotic. p. 322, ex *Monardo*.

c) sicut ex figura nostra conspici potest.

arbore Molles foliis, quae *foeniculi odorem habent*, maxime differt, et si manducantur piperis etiam saporem, quem quoque, licet siccata, non deponunt, sicuti piperis vulgaris folia, obtinent. *Truncus huius arboris nostrae* crassitudinem duorum quasi & quod excedit, iam habet pollicum, et cortice cincta est, corticem arborum mali punici referente, cui perquam similis est, radicesque habet fibrosas. Hanc arborem ante biennium una cum multis aliis plantis rarioribus Hortus Medicus Helmstadiensis a nobilissimo atque Iurisconsultiss. Dno. de SPREKELSEN accepit, nomine, *arbor foliis Molle Clusii, odore piperis*, flores vero hucusque non tulit, adeoque nec fructus, licet alias non valde tenera videatur, sed a medio fere Maii cum aurantiis ad finem Septembris in aere libero extra hypocausta vitrea laete vigeat et crescat, neque hyeme adeo magnum calorem desiderat. Piperatam hanc arborem ego Praeses paullo prolixius hic describere volui, quia eam a recentioribus non descriptam, imo ne mentionem quidem eius factam deprehendi, eique nomen PIPERODENDRON imponere consultum duxi, donec forte flos et fructus aliud eius genus iam notum manifestabunt. *Molles* patria est Regnum Peruvianum, eaque etiam baccas fert in racemo, fere ut piper, et piperis quoque magnitudine, sicut ex MONARDI et CLUSII figuris videri potest. Forte et haec similes fert ob reliquas partes similes, adeoque tanto magis ad piperis genus accederet. Quenam vero nostrae arbusculae patria sit, ignoro; verisimile tamen est, eam etiam

Ame-

Americam patriam agnoscere, quia laudatus Dn. SPREKELIVS saepius semina ex America, quam Africa aut Asia accepit.

XVII. Nonnulli ad piperum familiam etiam referunt *herbam piperitidis* dictam, quam Tournefortius multique alii *Lepidium* vocant, ob saporem, quem habet piperaceum et facultatem simul calefacientem; verum quia haec nimium ab illis differt, et planta est filiquosa, flore cruciformi, cochleariae valde affinis, et nihil fere cum ipsis praeter saporem et facultatem simile obtinet, plura de ea praesertim, dum brevis esse laboro, non addo, sed lectorem ad Botanicos et materiae medicae scriptores ablego. Ita DIOSCORIDES etiam peculiari capite, nimirum Lib. II. Cap. 191. de *Hydropipere* agit, quod plerique perferiam esse credunt acrem, piperis sapore; verum ob rationes modo dictas etiam de hoc nunc plura non dicemus.

XIIX. Hoc tamen silentio praetermittere non possum, praesertim quia et ipse *Theophrastus* a) alique granum aut *coccum cnidium* sive *gnidium* cum piperis descriptione, ob saporis forte et fructus similitudinem, dum ambae baccas rubras ferunt, coniunxerunt, et de hoc grano, quod vehementer purget et fauces valde arrodant, affirmant, quod aliqua affinitas inter coccum hunc et piper sit, praesertim quia et HIPPOCRATES iam grana gnidia et piper una in formula
con-

a) in edit. Stapeliana pag. 1178. cap. 22.

coniunxerit. a) Et quamvis, quantum novi, nondum, quae planta proprie sit, unde *coccus gnidius veterum* proveniat, demonstratum sit, sed quidam *Chamaeleam*, alii *Thymelaeam*, alii, aliam plantam pro ea habeant, b) indicare tamen hic volui, quod rustici in montibus et sylvis Hercyniae nostrae aliique accolae itemque Westphali *Mezereum* Germanicum, quod TOVRNEFORTIVS *Thymelaeam* folio deciduo, alii *Laureolam* folio deciduo, quae satis copiose illis in locis crescit, non solum arborem piperis, (*Peperboom*) appellent, verum etiam eius grana X, XV. ad XX, pro scopo purgandi saepe assumant, affirmantque se, dum ea deglutiunt, saporem piperis, acrem et urentem in faucibus sentire, atque egregie et vehementer inde purgari. Cum itaque hae baccae colorem rubrum et easdem has qualitates et virtutes, quae cocco gnidio a THEOPHRASTO adscribuntur, obtineant, verisimile mihi PRAESIDI videtur, *baccas huius plantae esse ipsum coccum gnidium*, vel saltem easdem possidere virtutes, et eorum loco, si cum prudentia adhibentur, usurpari posse.

XIX. Denique antequam finem huic capiti imponam, haud extra scopum erit *in flores nostri piperis inquirere*, rectissime enim RAIUS, celebris ille Anglorum Philofophus et Botanicus fatetur c), quod incertus sit ad quam *classem plantarum piper sit referendum*; quia omnes, qui plantam piperis ad sua us-

D

a) Lib. de Morb. Mulier. §. CXIX.

b) vid. *Stapelius* in Theophrast. p. 1184.

c) in Hist. Plant. Tom. II. Lib. XIII. Sect. IV.

que tempora descripserint, de floribus eius altum fervent silentium, mirumque profecto est, quod tam longo temporis spatio, quo Piper notum, imo quo Batavi in Indiam Orientalem navigationes instituerunt, multosque Medicos, Pharmacopaeos et Chirurgos illuc miserunt, atque singulis annis stupendam piperis nigri, albi & longi copiam inde in patriam suam invexerunt, tamen *nullus horum ad flores piperis animum adhibuerit*, eos curate examinaverit atque veram eorum et figuram et descriptionem exhibuerit: adeoque hoc adhuc eis, qui illuc iter faciunt, et rem herbariam methodicè intelligunt, commendandum erit, ut flores Piperum orientalium, quales sint, curatius observent atque describant. Interea tamen, ne quid dissimulem, autor Horti Malabarici in Part. VII. p. 23. *flores piperi nigro spicatos, monopetalos, circa extrema tripartitos*, in petiolis e viridi dilutis, adscripsit, similesque etiam ibidem Tab. 12. delineatos exhibuit; sed *longo Piperi* orientali flores monopetalos, in 5 vel 6 lacinias divisos, Tab. 14: qui vero an revera ita se habeant, dubium est, cum LINNAEVS saepius iam laudatus, piperi alios adscribat, quem Clar. ROYENVS in Prodr. suo Florae Leidens. pag. 8. sequitur.

XX. Ille enim haud adeo pridem in Gener. suis Plantar. p. 333. N. 832. plantam americanam, quam PLUMIERVS, cel. Botanicus Gallus, ad *Saururi* genus retulit, a) *piperis nomen* dedit, atque *piperis* ^{nus}

a) in Novis Plantar. americ. generibus, pag. 51. et tab. 12, ubi *Saururi* generis, piperi admodum affinis, notas delineavit ac descripsit.

mus inde constituit eamque in Horto Cliffortiano, nobilissimo opere, p. 6. Tab. IV. delineavit, cui ab ipso sequentes notae sive characteres tribuuntur. *Calix*, nullus, at receptaculum inaequale; *corolla*, (quo vocabulo florem petalodem intelligit) nulla; b) *Stamina* sive filamenta, nulla; *Antherae*, duae, oppositae ad radicem germinis subrotundae; *Pistillum*, germen maximum ovatum; *Stylus*, nullus; *Stigma*, hispidum; *Pericarpium*, bacca subrotunda, unilocularis; *Semen*, unicum, globosum. Hae sunt notae, quas LINNAEVS huic Americanae plantae, quam pro pipere habet, adscribit, et quas CL. ROYENVS, ut dictum modo est, quoque amplectitur. Vtrum autem hae etiam in pipere orientali rotundo ac longo ita deprehendantur, an alia ratione sese habeant, ii, qui has plantas florentes in proprio solo, quia apud nos hactenus haud viguerunt, examinare cum cura possunt, aliquando decidant. Mihi magna inter plantas piper repraesentantes, quas MONARDVS, CLVSIVS, STAPELIVS, PISO et RHEDIUS, locis citatis, ad exemplaria Indica de vero pipere dederunt, et eam quam LINNAEVS loco citato, de piperis genere demonstrando sistit, differentia intercedere videtur, ut dubitem an haec et orientales species conveniant, atque ad unum idemque genus iure referri queant, ob rationes varias, quas quilibet, utriusque partis figuras inter se conferens, observare poterit.

b) adeoque ab autore H. Malab. valde recedit et dissentit.



XXI. Tandem et illud adhuc in historia naturali piperis vulgaris desidero, quod plerique et quidem etiam recentiores autores, qui de eo scripserunt, ut GARCIAS, CLVSIVS, STAPELIVS quidem dicant *incolas piperis plantas iuxta truncos arborum* plantare; verum nullus horum meminit, utrum semina illic loci terrae committant, atque piperis plantas ex seminibus ibidem elevent, an *potius per radicem serpentium*, quae facile se multiplicare solent, divisiones, ut in Lupulo, Glycyrrhiza, aliisque multis plantis fit, aut per ramulos resectos, sicut in vitis, ribesiorum aliarumque plantarum plantatione fieri potest, terrae tantum insertos, illas multiplicent. Tandem tamen in Christophori a COSTA libro aromatum, ubi de pipere agit, inveni, quod sarmentum eius seu ramus iuxta praegrandem qualemcunque arborem aut palum defodiatur, atque bubulum stercus et cineres cum aqua inspergantur, ita plantam inde brevi crescere et intra annum fructus proferre. Idem fere affirmat RHEDIUS in loco citato H. Malabar. p. 23. ubi ait, quod *colatur per fragmenta ramorum terrae commissa*. Sed an non etiam *per semina aut baccas maturas*, aut radicem divisiones propagari queat, quemadmodum mihi videtur, silent omnes, ita ut hac in parte, historia piperis naturalis adhuc manca sit. Alia adhuc circa historiam piperis naturalem monenda essent: sed ne nimis prolixa fiat mea dissertatio, progrediar nunc ad

CAPVT II.

CAPVT II.

DE

PIPERIS VSV.

XXII.

Antequam piperis usum exponendum suscipimus, quem experientia multorum seculorum et vulgum et empiricos et Medicos rationales docuit, perscrutari prius iuvat, *quid de piperis natura ac viribus ex odore et sapore*, tanquam sensibus illis, qui prae ceteris vegetabilium indolem, naturam et vires nobis quam maxime revelare solent, coniectura assequi valeamus. Quando igitur piperis species odoratu exploramus, percipimus in eis *odorem fragrantem, aromaticum*, acriusculum, peculiarem, ex quo piper ab aliis rebus haud adeo difficulter distinguimus. Quaecunque vero res eiusmodi *odore fragranti aromatico* et acriusculo *gaudent*, calidam sive calefacientem virtutem possidere omnes Medici rationales recentiores iudicant ac docent, inter quos solum nunc WEDELIVM Patrem a), brevitatis causa nominare volo.

XXIII. Praeterea *quaecunque res saporem obtinent acrem, aromaticum, fervidum*, linguam et fauces, quando manducantur ac deglutiuntur, *quasi adurentem*, ut Piper, Zingiber, Zedoaria, Amomum, Acorus, Cinnamomum, Caryophylli, Cardamomum,
D 3 Macis

a) ob libr. eius egregium de Facultatibus medicamentor. et Atmosphaerae Materiae Medicae.

Macis etc. faciunt, illa non solum propter hunc sapor-
rem calefacientia habentur; verum etiam, dum as-
sumuntur, et praesertim in paullo largiori copia, ca-
lorem in ventriculo et corpore nostro revera exci-
tant et augent. Adeoque quod piper, omnesque e-
ius tres species primariae, imo et aliae supra indica-
tae, *virtutem habeant calefacientem*, nemo forte est aut
fuit inter Europaeos, imo et inter Arabes et Persas,
teste GARCIA l. c. p. 90, et praesertim Medicos,
qui hanc virtutem neget vel solum etiam in dubium
vocet: adeoque quamplurimi iique etiam ex vulgo
in morbis, quos frigidos appellant, pipere pro ven-
triculo frigido calefaciendo, aut febribus intermit-
tentibus, quas Germani ob frigus, quo ipsae singu-
lique earum paroxysmi incipere solent, *frigidus* ap-
pellant, (Kalte Fieber) propellendis fugiendisque
utuntur. Adeoque dum *effectus piperis adeo manife-
stus est calefaciens*, isque sane in magno admodum
gradu, prae multis aliis aromatibus et calefacienti-
bus, mirari satis non possumus, quam ob rationem
Medici Indi, (quos vero omnes empiricos esse asse-
verat GARCIA, pag. mihi 89,) piper, una cum o-
mnibus aliis aromatibus, *frigidum esse* statuunt, sive
virtutem ei refrigerantem tribuant; dum gustus et u-
sus quemlibet facile contrarium docere possunt, at-
que hinc Indorum hanc sententiam PISO l. c. ridi-
culam pronunciat, quae sola experientia refutari
potest.

XXIV. Sed *non solum piper in substantia* aut pulve-
re in ore detentum fervidam illam qualitatem satis
indicat

indicat, verum etiam *omnia, quae ex ipso parantur*, ipsam quam manifestissime evincunt. Consistere mihi videtur insignis haec vis fervida et urens in quodam sale admodum penetrante et oleo adeo acri, fervido, et volatili, sicut in omnibus aliis aromatibus, id quod odor fragrans eius, qui ab oleis et salibus volatilibus provenire solet, satis indicat. Praeter odorem vero hoc uberius *probamus ex destillationibus piperis*, tam cum aqua simplici, quam cum spiritu vini. Cum aqua simplici destillari curavimus libram unam piperis nigri, et ex hac libra olei ℥j. alembicum transiit acerrimi saporis, id quod simul etiam omnem aquam sapore piperato vehementer impraegnavit. Deinde etiam piperis similem quantitatem *cum spiritu vini rectificato destillavimus*, atque spiritus huius duas libras acerrimo piperis sapore impraegnatas accepimus, qui *spiritus piperis* appellari potest: manifesto, ni fallor, indicio, piper et sale et oleo volatili gaudere, quia tam cum aqua quam spiritu vini alembicum transeunt, eosque liquores acerrimo suo sapore inficiunt. Interea tamen piper post destillationem relictum, quod mirandum, adhuc tam acre erat, ut vix ab alio pipere distingui potuerit, id quod ingentem piperis acrimoniam indicare potest.

XXV. Omnia, praeter haec, *preparata alia piperis genuinum quoque saporem* acquirunt et referunt. Praeparavimus enim *Essentiam piperis*, atque piperis ℥j crasso modo contusi, spiritus vini rectificatissimi ℥iij affudimus, et digerendo per aliquot dies *essentiam flavescen-*

vescentem inde eduximus, quae, si non majorem, quam oleum eius destillatum, obtinet acrimoniam, tamen ei vix atque ne vix quidem hac in re cedit: ita ut haud difficile sit quam plurimis eiusmodi essentiam piperis pro ipso eius oleo vendere, dum pauci ex sapore aliquam differentiam agnoscent. Denique *comburi curavimus piper*, ex quo oleum aquae beneficio extractum ac destillatum erat, atque ex eo *sal piperis fixum* quoque paravimus, id. quod cineritii est coloris et insignem adhuc piperaceam acrimoniam possidet, atque ponderis erat ʒss. Ex quibus omnibus piperis insignem vim fervidam atque calefacientem satis patere existimamus. Quaecumque vero eiusmodi vim calefacientem obtinent, illa quoque *roborantem, excitantem, stimulantem* aliasque inde pendentes vires possident, easque per rationem a priori, ut dicunt, perspicimus.

XXVI. Quando autem nunc *experientiam*, tam aliorum, quam nostram simul in auxilium vocamus, *de viribus et usu piperis longe mox futuri sumus certiores*. Incipiamus vero *ab antiquissimis scriptoribus medicis* pergendo inde ad recentiores, sic inde tanto magis piper omni tempore pro re aut medicamento acri, stimulante, roborante et calefaciente, unde deinde et aliae vires deducendae, habitum atque usurpatum fuisse, liquido constabit. HIPPOCRATES quidem, quantum deprehendere potui, piper interne, forte propter insignem eius acrimoniam, et quia eius vires forte tunc in Graecia nondum exploratae erant, non dedit sed solum

solum in morbis mulierum ad uterum purgandum, una cum granis cnidiis in forma glandis sive pessi adhibuit. a) THEOPHRASTVS autem utrique piperis generi, et rotundo et longo, generatim vim calefactoriam, qua multae simul aliae virtutes, sicut in vino, comprehenduntur, adscribit; quam tamen in longo validiorem esse statuit, quam in rotundo, atque speciatim contra *cicutam* auxiliari, docet; b) sed praeter haec nullam eius virtutem aliam indicat, adeoque tunc temporis (nam sub *Alexandro Magno* vixisse dicitur) vires eius parum adhuc cognoverant, atque forte in magno aut frequenti usu nondum in Medicina fuit. Successu vero temporis et nominatim DIOSCORIDIS temporibus, qui *Iulio Caesari* coaevus fuit, c) et cuius scripta GALENVS valde commendavit, longe plura iam de eius viribus cognoverant; nam ita de eo scribit: d) *piper album* aptissimum remediis oculorum, antidotis et iis medicamentis, quae contra venenatas bestias parantur, theriaca vocant. *Longum* intensa mordacitate praeditum et subamarum, antidotis itidem et theriacis accomodatum. At *nigrum albo* suavius est, acrius orique gratius ac magis aromaticum, ad condimenta utilius est. Paulo post vero omnes piperis virtutes tunc notas coniungit et dicit: „omne piper vim habet calefaciendi, „urinam ciendi, concoquendi, attrahendi, disc-

E

„ tien-

- a) Lib. I. de Morb. Mulier. supra iam citato loco
 b) In Hist. Plantar. L. IX. cap. 22.
 c) Teste *Iusto* in chronologia Medica pag. 50.
 d) Libr. II. cap. 189.

„ tiendi, detergendique ea, quae oculis tenebras of-
 „ fundunt, convenire etiam seu potum seu illitum
 „ febrium intermittentium rigoribus, ac venenata-
 „ rum quoque bestiarum moribus auxiliatur et par-
 „ tus extrahit. Quin et tussi aliisque pectoris vitiis
 „ linctu potuque succurrit, faucium etiam malis
 „ convenit cum melle perunctum et tormina discu-
 „ tit, potum cum lauri foliis tenellis; manducatum
 „ cum uva passa pituitam e capite prolicat. Dolo-
 „ res quoque sedat, valetudinem tuetur, appeten-
 „ tiam movet, et concoctionem iuvat ad intinctus
 „ additum. Exceptum pice, strumas discutit.

XXVII. A *Latinis scriptoribus* Medicis antiquis
 et nominatim Scribonio LARGO et CELSO quam
 plurimis in morbis commendatur atque in quam
 plures apud ipsos compositiones, tanquam medica-
 mentum polychrestum ingreditur et cum primis
 CELSVS, qui inter calefacientia primo loco illud po-
 nit, Lib. 2. cap. 27. Adeoque *in omnibus morbis fri-*
gidis et praesertim *ventriculi*, ubi coctio debilis, ubi
 flatus et pituita molesti sunt, ubi cibi desiderium de-
 ficit, itemque in colicis ventris doloribus, a causa fri-
 gida ortis, aliisque similibus malis, hoc non sine ratio-
 ne, tam in cibo quam medicamentis, commendavit
 Libro 3. cap. 12. piper contra *febres intermittentes* lau-
 dat, et ait: *ante accessionem* aeger bibat *aquam calidam*
cum pipere; siquidem ea calorem movent et horrorem
 non admittunt: speciatim vero contra quartanam du-
 plicem cap. 16. Praeterea id *contra renum morbos*, eos-
 que sine dubio frigidos, quando pituita frigida forte
 ob-

obstructi, et urina difficulter succedit, aut arenulae vel calculi forte minores sint, quae mala symptomata concitant. His aegris suadet Lib. 4. cap. X. quiescere, alvum solvere, saepe desiderare in aqua calida, neque cibum neque potionem frigidam assumere, bibere liberaliter, et *adiicere modo cibo, modo potioni piper*, &c. quae maxime urinam movere asseverat. Libro eodem cap. 17. *adversus lumbricos latos* laudat inter alia potum aquae, cui *contritum piper* adiectum sit; nam acrimonia piperis lumbricis adversa esse videtur, sicut et alia acria lumbricis contraria sunt: et quia simul pituitam frigidam, tanquam nidum lumbricorum destruit, varias ob rationes *anthelminticum* esse potest egregium. In *ventris fluxu*, praesertim a causa frigida orto, praemissis evacuantibus, et praesertim per vomitum, quem hic commendat, *piperis usum ad alvum sistendum*, recte suadet, Lib. 4. c. 19; roborat enim et calefacit ventriculum atque intestina. Inter Antidota adversus venena sumpta, vel contra morsus animalium venenatorum et speciatim *Protonae Regis et Mithridatis*, quae cap. 23. describit, piper album & longum recipit, id quod postea GALENVS; ORIBASIVS, aliique recentiores Graeci secuti sunt. Sigillatim vero *adversus serpentum* morsus CELSVS necessarium esse ait, Lib. V. cap. 27. n. 3. *exsorbere portionem vini meri cum pipere*, quia calori movendo humorem intus coire non pateretur; nam maximam partem venenorum frigore interimere existimavit. Ex quibus patet, nullum ex veteribus virtutes piperis melius descripsisse CELSO.

XXVIII. Atque haec specimina frequentis et magni usus piperis, Celsi temporibus, qui Tiberii tempore vixisse creditur, interne ut medicamentum adhibiti, sufficere poterunt. Nunc quaedam etiam *empla usus piperis externi* ex ipso ex multis aliis proponam. Et primo quidem illud laudat in *affectibus faucium*, eisque sine dubio frigidis ac pituitosis, qui saepius in *uvula* siue gurgulione occurrunt, quando in magnum tumorem inde distenditur, ut et deglutendi et loquendi facultatem laedat. Nam Lib. 5. cap. 22. n. 9. ubi de gargarizationibus loquitur, ita scribit: „*Gargarizationes autem aut laevandi causa fiunt, aut reprimendi, aut evocandi.* Laevant lac, cremor vel prisana. Reprimit autem aqua, in qua lentacula, vel rosa, vel rubus, vel cotoneum malum etc. decocta sunt. *Evocant autem sinapi, piper.*” Hinc adhuc hodie moris est et saepe prodest, si parum piperis contusi vel per se, vel melle remixtum ope instrumenti idonei uvulae a pituita tumidae, subinde admoveatur; quippe ex ea egregie et multam pituitam evocat. Lib. V. cap. VI. *Piper* inter medicamenta rodentia et cap. VIII. inter *adurentia* ab ipso refertur, atque hinc etiam mirum non est, quod cap. IV. illud inter ea remedia referat, quibus *vulnera aut ulcera* aperta servari queunt. In *cervicis morbis*, (ut antispasticum forte, aut revellens) commendat *piper cum ficu contusum*, et ut cataplasma ei impositum, quod etiam in *abscessibus emolliendis* et rumpendis haud alienum est. Contra *varios oculorum morbos* (quibus DIOSCORIDES iam piper prodesse do-

III V XX

do-

docuit.) Lib. VI. cap. 6. n. 20. 21. 22. 24. 25. 27. 30. 31. 33. collyria varia quondam celebria describit, quae piper vel vulgare, vel album vel longum ingreditur: unde quoque intelligi potest, quod illo tempore iam triplex hoc genus piperis in usu fuerit. Sed sufficiant haec ex Celso indicasse.

XXIX. Apud SCRIBONIVM LARGVM piperis tam nigri, quam albi et longi usus saepissime commendatur, eaque in quamplurimas compositiones, quas describit, adversus eos morbos recipit, contra quos a DIOSCORIDE et CELSO laudata fuerunt, quae etiam dignae sunt, ut in ipso autore legantur et perpendantur. GALENVVS recte dicit, quod *omne piper potenter calefaciat, siccet ac roboret*, atque cum primis utile sit in cibo, quando ventriculus debilis, cruditatibus aut flatibus repletus, aut non bene concoquat: ubi tamen piper album reliquis praefert, illudque *non minutim contritum, sed vel integrum vel crasso solum modo comminutum*. Hac enim ratione vim suam calefacientem in primis solum viis edere, ibidem quasi extingui et non in totum corpus sive sanguinem, sicut alia calefacientia, se diffundere, eumque utendi modum utilissimum longeque praefendum esse vult ei, ubi minutim contritum assumatur. Imo asseverat, quod hac ratione assumptum, praesertim si aqua calida super bibatur, saepe singultum, calorem p. n. in toto corpore vehementem aliave mala concitaverit. Neque haec observatio destituitur ratione, in qua vero extricanda diu brevitat

tatis caussa immorari nolo, dum quilibet haud adeo difficulter eam intelligere posse existimo. Pulverem etiam *de tribus piperibus* compositum, nobis reliquit, qui in Pharmacopoeia Augustana, nomine *specierum diatrion pipereon Galeni* describitur, a) in omnibus affectibus ventriculi frigidis sane non contemnendus. Piper denique cum aqua singulis diebus assumtum *ad quartanam* curandam commendat: quo forte factum est, ut adhuc hodie a vulgo contra febres intermittentes et cumprimis quartanas, verum raro ex aqua, sed, in quo Galenum corrigere voluit, ex spiritu vini, vel vino saltem, frequenter usurpetur.

XXX. ORIBASIVS, praestantissimus post GALENVM inter Graecos Medicus, non solum, quae hic et Dioscorides de piperis natura et usu affirmarunt, confirmavit, verum eius usum adhuc extendere allaboravit. Ex multis pauca speciminis loco adducam. In Synopsi ad Eustachium filium iis, *qui ventriculo debili laborant et quibus cibi in ventriculo acefcunt*, Lib. IX. cap. X. sequens commendat.

Rx. piperis et sem. aneth. ā ʒj. sem. cumin
ʒʒ. M.F. pulvis:

cuius cochleare unum dormituris ex vino diluto dandum. Ei vero, *cuius stomachus flatibus distentus*, decoctum calaminthae, cum modico mellis et piperis adiuncto exhibendum, quod cap. XI. repetit, et quantitatem piperis ʒj determinat. Praeterea illud in univcrsum, *ut calefaciens et siccans valentissimum*,
ac

a) A Galeno vero ipso Lib. IV. de valetudine tuenda.

ac deinde ut medicamentum, quod humores abundantes, ac praesertim e capite per os extrahat, si subinde manducetur. Postea in tom. II. pag. m. 657. inter medicamenta, quae sudorem movent, piper quoque refert, quod ut cetera aromata igitur in eum usum, ubi opus, commendat. Id quod etiam egregie facit, si aqua calida per aliquod tempus ei superinfundatur, vel foli vel aliis simul vegetabilibus idoneis admixtis, quod infusum in omnis generis morbis a frigore et transpiratione suppressa ortis, itemque in paroxysmo febrium intermittentium, et praesertim quartanarum, quando aestus minui et sudor provenire incipit, praestantissimum esse potest. Reliqui scriptores Medici Graeci et Latini veteres, quia antecessores tantum imitati sunt, nihil notatu dignum, praeter iam dicta, nobis reliquerunt. Ergo ad recentiores progrediemur.

XXXI. Hi vero omnes, uno fere ore conveniunt cum eis, quae veteres et cum primis Dioscorides, Celsus Galenus et Orbasius de nobili hoc aromate praedicarunt, atque verum deprehenderunt atque adhuc hodie deprehendunt, quod scilicet sit insigne calefaciens, stomachicum et roborans, ex quibus, quasi cardinalibus eius virtutibus reliquae omnes, quas supra ex modo laudatis scriptoribus Medicis, N. XXVII. ad XXXI. recensuimus, deduci possunt. Siquis enim evolvat praestantissimos Medicos practicos itemque scriptores materiae medicae huius et duorum seculorum ultimorum, et speciatim Paracelsum, Platerum, Riverium, Sennertum, Caspar.

Caspar. Hoffmannum, Schroederum, Ettmullerum, Wedelium, Paulum Hermannum, Lemeryum, Daleum, Valentinum, Frid. Hoffmannum, Acta Naturae Curiosorum, Vratislaviensium, aliosque praestantiores, et ubique deprehendet, piper saepius hinc inde ad varios morbos commendari. Nimis prolixum esset omnia ex iis excerpere, sed pauca solum speciminis loco adhuc proferam.

XXXII. Ex his vero non adducam, quid cum veteribus commune habent, sed de quibus hi vel nihil tradiderunt, vel non tam bene, vel quæ veterum doctrinam singulari modo confirmant. Ita enim RIVERIUS a) refert, a ructibus acidis molestissimis piperis grana v. vel vj. mane integra, quinque horis ante prandium, ieiune deglutita, Consiliarium regium, trium vel quatuor dierum spatio, a molestissimo illo malo liberasse, et cum simul appetentia ipsi prorsus esset deiecta, ventriculum inde ita roboratum esse, ut postea avide cibum caperet, atque optime concoqueret, sic ut totum corpus inde refocillari et substantia eius absumpta reparari visa sit. Caspar. HOFFMANNUS in Medic. officin. *Piperis* usum cum vino vel spiritu vini, teste ETTMULLERO b), saepe in *colica frigida* extollit: quia calefacit et acidum destruit, itemque apud CRATONEM, Confil. 102. f. 274. conserv. rosar. cui immixta sunt grana aliquot *piperis albi* per medium secti, commendat

a) In observat. communic. XXXVII.

b) Tomo I. p. mihi 627.

dat in morbis, ubi debilis est ventriculus et calidum hepar. PARACELSVS quoque *piperis usum* in pluribus morbis a causa frigida vel acida ortis, adhibuit, sicut multis in locis ex scriptis eius videri potest; id quod etiam fecit PLATERVS, illudque etiam quam maxime in *impotentia virili* variis in formulis, pag. m. 56r. extollit. QVERCETANVS in diaetaetico et HORSTIVS in Instit. Med. aliique multi, ad *viscidos humores* dissolvendos & acidos destruendos, ob sal eius subtile et penetrans, quod alcalicae est naturae, *piper* laudant. Th. BARTHOLINVS a) varia *remedia popularia de pipere* describit atque laudat: et primo quidem, si in ipsa febris accessione *piper cum spiritu vini* exhibeatur; vel absinthium in aceto coctum cum *pauco pipere*, tribus diebus continuis, eodem tempore. Ita et ante tremorem febris cum *lauri baccis piper* sumtum frigus febrile compescere, ex MACRO de virtut. herb. cap. 66. refert. Praeterea in *capitis morbis a causa frigida* illud utilissimum esse censet. Sic quoque IOEL Sect. II. de febr. *novem piperis grana* integra, plures dies deglutita, liberare a *quartana* asseverat. THEODOSIVS pro secreto habet Epist. med. 9, in *stomachi debilitate*, ante cibum 4 vel 5 grana piperis deglutire. SCHROEDERVS quoque in pharmacop. sua *piper* valde laudat et inprimis etiam *eius oleum*, quod flatu discutiatur, paroxysmumque tertianae praecaveat, si 2. horis ante paroxysmum ad gt. iij. vel iv. assumatur, id quod etiam facit ERNESTVS Lib. de oleis destill. si cum myrrhæ, ʒj. purgato prius corpore, assumatur.

a) In Histor. anat. cent. V. Hist. 48.

XXXIII. ETMULLERVS in notis ad *Schroederum*, ubi de pipere agit, ita de eo differit. *Piper* cum fit aroma, ut sapor et effectus loquuntur, quod consistit in sale volatili acerrimo, (et quidem alcalico) *egregie incidit et penetrat*; adeoque pituitam crassam, in primis viis stabulantem, attenuat, acidumque absorbet ac destruit: *hinc ubi acidum peccat, piper optime convenit*. Ergo ad cruditates ventriculi acidas destruendas; una cum multis aliis inde pendentibus symptomatibus, egregie conducit, atque appetitum prostratum resuscitat. Grana enim eius integra, vel crasso modo contrita, tunc assumta, ventriculum optime roborant, et melius operantur, quam si pulveris subtilioris forma exhibeantur. Nam piper integrum vires suas in ventriculo aequae exerit, quam pulverisatum, sicut id l. c. uberius probat. Adeoque usus eius in *colica*, quae ab acido (aut frigida causa) oritur, quia hoc destruit, est egregius, sicut iam §. XXXII. docuimus, quando nimirum grana aliquot (v. g. vj. viij ad X) integra vel leviter confusa, cum vino generoso vel spiritu vini propinantur. Praeterea in *febribus intermittentibus* eadem ratione, praemissis universalibus, aliquot horis ante paroxysmum usurpatum, febres has, imo et ipsas *quartanas* saepe sanat, maxime vero eas, ubi frigus magis affligit, quam aestus: *exemplumque refert de iuvene 17 annos nato*, qui 70 grana leviter confusa pro una dosi assumfit et febris inde cessavit. Et quamvis febris post dies aliquot, ex haustu cerevisiae frigidae, redierit, piperis tamen continuato usu iterum se curavit. Si

quan-



quando forte etiam febris non semper omnino inde tollatur, vehementius tamen *frigus et rigor inde maxime minuuntur*. *Oleum piperis* est egregium stomachicum, et in *colica ac quartana* ad gutt. iij vel IV optime prodest. De usu eius externo infra proponemus. *Essentia cum spir. vini parata*, mire appetitum acuit. *Species de tribus piperibus*, quarum GALENVS auctor est, egregie digestionem promovent et ventriculorum roborant.

XXXIV. *Piperis* etiam vires in *praecavenda cardialgia* autores Hist. morb. Vratislav. An. 1702. p. 153, egregie laudant et commendant eis, qui ex esu fructuum horaeorum, itemque cucumerum et melonum, adeoque ex refrigeratione ventriculi cardialgia facile corripiuntur, ut commissio tali errore mox piperis gr. X. deglutiant. HARRISIVS multa egregia etiam refert *de insigni piperis usu*, praesertim in *febribus intermittibus* et malis *a ventriculo frigido* ortis a) atque TORTVS de Galeno refert b) ipsum ad Imperatorem, passione quadam stomachi, ab assumpto cibo laborantem, noctu vocatum esse, atque rogatus, quo remedii genere huiusmodi passioni mederetur, cui Romani Medici nihil opis afferre potuissent? promte respondit, se hominibus sic afflictis *vinum pipere inspersum exhibere*. Piperis grana X, XV ad XX. crasso modo contusa *languidis in venerem*, ut egregium stimulans sive *aphrodisiacum*, cum libra lactis calidi, hora vel bihorio ante concubitum tem-

F 2

pus

a) in Diss. suis Medicis chirurg. dissert. de Aqua.
 (b) lib. de Febribus, mihi pag. 433.

pus Dn. Praefes sumenda suavit, aliisque qui a lacte abhorrebant, vel obesi erant, cum hausto vini generosi, atque magnos inde effectus nota vit.

XXXV. denique et de usu *piperis in cibis* adhuc nonnulla annectam. Veteres quidem a *pipere abhoruisse* ex *Plutarcho* refert LISTERVS; a) attamen postea eius usum adeo invaluisse, ut omnium aromatum apud eosdem vulgatissimum factum sit, atque apud APICIVM vix unquam in suis condimentis desit, atque sexcentis fere in locis adhibitum inveniatur. Deinde haud raro *acetariis*, quae vel ex lactuca, vel brassica, vel cucumeribus, vel ex raphano parantur, modica copia & crasso modo contritum admiscetur, eoque, me iudice, non solum his gratior sapor conciliatur, verum etiam ad appetitum languidum excitandum quam maxime prodest, ac simul vim eorum refrigerandi nimiam sua vi calefaciente moderatur et corrigit, ne ventriculum nimis refrigerent aut laedant. Praeterea cum fructu adhibetur nonnullis rebus *condiendis* et fermentandis, ut brassicae muriaticae, item cucumeribus minoribus aceto condiendis, ubi non modo eosdem usus praestat, quos in acetariis modo indicavimus, verum etiam ut diutius conservari queant, facit. Ita et *embammata* multa vel intinctus grati parantur, quae *piper ingreditur*, v. gr. ex aceto, oleo olivar. pipere aliisque idoneis. Multis tandem *oleribus decoquendis*, tam saporis exaltandi gratia, quam ut facilius digerantur, addi solet: atque hunc morem iam apud veteres fuisse,

ut

a) in Praefat. ad *Apicium* de Arte coquinar.

ut betae piper admiscuerint, videri potest ex MARTIALIS epigrammate, ubi canit:

Vt sapiant fatuae fabrorum prandia betae,

O quam saepe petet vina, piperque coquus.

Atque ex hac virtute cibus gratum saporem conciliandi, modus ille loquendi originem traxisse videtur, quo sermones ingenio et acumine pollentes, sermones *sale et pipere conditos* appellaverint; et denique etiam quando *acetum* vel ex vino vel ex cerevisia conficere volunt, piper tam nigrum quam longum, adiici solet, quo ipso longe fortius atque praestantius evadit.

XXXVI. Praeter vires autem, quas piper erit interne in corpore humano, *externe quoque in variis corporis malis egregie prodest.* Non hic repetemus, quae supra iam pag. 36. ex CELSO de usu eius externo aliisque aliis in locis adduximus; sed solum nonnulla, cum ex recentioribus scriptoribus, tum ex nostra observatione specimina producemus. Piperis igitur pulvis vel per se, vel cum rad. irid. Flor. vel veratri, vel mercurialibus pulveribus mixtus, egregium *errhinum* est in variis *morbis capitis et oculorum frigidis*, ut affectibus soporosis, apoplexia, amaurosi et cataracta incipiente. Praeterea est *apoplegmatisans*, si manducatur vel solum, vel cum uvis passis, aliisque idoneis, in dentium doloribus et morbis modo nominatis. *Piperis decoctum* cum aqua paratum loco gargarismatis in *faucium tumoribus frigidis* conducit. Idem decoctum in *dentium dolore* auri affecti lateris tepide infusum, dolorem illum saepe tollit, SYDENHAMVS cap. de febre erysipelacea, sequens ad erysipelas

commendat. Rec. spir. vin. ꝑ. theriac. androm. ꝑij
 pulv. piper. long. et caryophyll. a ꝑij. M. et charta em-
 poretica, hac mixtura madefacta, parti circumvolva-
 tur. *Granum piperis & cum primis albi*, denti cavo in-
 trusum, haud raro, educta pituita aut putredine, *odon-
 talgiam* sedat, et si dentes cavi granis eiusmodi pipe-
 ris, foraminulis aut sinibus eorum, scalpello adapta-
 tis, impelluntur atque replentur, sicut alias frustulo
 plumbi aut mastichis fieri solet, multos a dentium
 dolore praeservat. *Oleum piperis* denti cavo dolenti
 ad guttas ij vel iij cum linamento carpto immis-
 sum, a multis scriptoribus contra dolores hos commenda-
 tur; cui usui etiam *essentia eius* servire potest. Ita
 etiam hoc oleum *februm vehementiorum rigorem*,
 cum oleo laurino vel Nucis moschatae, spinae dorfi et
 ventriculo inunctum, egregie moderatur. Ita et idem
 oleum partibus paralyticis prodest, si eo probe fri-
 centur; quo vero in casu *spiritus piperis* forte adhuc
 maiores vires exerere potest, quia est penetrantior.

XXXVII. Quemadmodum vero nulla res est
 tam bona, quae non *perverso usu* possit fieri mala si-
 ve noxia, ita hoc quoque de pipere quam verissi-
 mum est: nam multos eius sapor adeo delectat et af-
 ficit, ut *larga nimis copia illud quotidie assumant*. Imo
 de Russis et Polonis referunt, quod multi illorum
 illud quam frequentissime spiritui vini, quando hic
 eis non satis acris et valens videtur, magna quantita-
 te admisceant, unde autem facile sanguinem nimis
 calefacere et ad febres disponere, imo viscera, ut de
 aliis malis nunc non dicam, inflammare possunt. In-
 terea tamen dum consuetudo ipsis altera quasi fit na-
 tura

tura, quae stupenda ferre potest, multi sine omni fere noxa quotidie hoc impune facere audimus. Sic DIOSCORIDES aliique in angina sive *faucium vitii* id commendant; sed caveant, ut I. BAVHINVS iam monuit, ne in inflammata uvula aut alio tumore faucium inflammatorio, sed tantum in pituitoso et frigido tumore adhibeatur. Ita rustici et vulgus nostrum ad *febres intermittentes* curandas saepe largam nimis piperis quantitatem assumit et quidem haud raro cum magno nimis spiritus vini haustu. Et quamvis hoc frigidis temperamentis atque ventriculis, et praesertim frigida quoque tempestate, haud raro egregie benefaciat vel saltem saepe haud noceat, tamen cholericis et sanguineis, praesertim iunioribus, haud raro male cedit, ex intermittentibus continuas faciendo a), tandemque per has quandoque mortem inducit. Ita et *in oculorum morbis*, in quibus veteres eo saepissime uti sunt, ut ex DIOSCORIDE, LARGO et CELSO potissimum videre est, quam cautissime cum eo procedendum esse iudico, propter insignem eius acrimoniam, qua oculos facile iusto vehementius afficere adeoque et inflammare aut alia ratione eis nocere solet. Quo forte respicere videtur *Schola salernitana*, quando inter res oculis noxias *piper* etiam in sequentibus versiculis refert:

Balnea, vina, venus, ventus, piper, allia, funus, etc.

Ista nocent oculis, etc.

XXXVIII. *Indi tandem quoque, praeter baccas siccas, baccis quoque piperis recentibus, imo et im-*
ma-

a) sicut et Illustr. Fr. Hoffmannus in Med. rationali notat.

maturis utuntur; quas, testibus omnibus fere autoribus, qui de aromatibus plantis & medicamentis Indorum scripserunt, *muria et aceto condiunt*, atque fere, uti nos cucumeres nostras condire solemus, iisque in pastu pro appetentia ciborum excitanda, atque digestionem promovenda, sicuti nos cucumeribus conditis utimur. Praeterea *et folia*, quae una cum radice et sarmentis eundem cum pipere saporem obtinent, varia ratione, ut medicamenta, praefertim in forma decocti, contra varios morbos et cumprimis a causa frigida ortos; adhibent. Verum quia nos his caeremus, plura de eorum usu non dicam. Vnum tamen adhuc notabo, quod scilicet COSTA asseverat, *foliorum piperis albi nullum apud Indos in Medicina esse usum*; nigri autem folia pro hoc scopo expeti. Vnde uberius confirmari existimo, quod supra §. IX. evincere studui, *plantas piperis albi et nigri non easdem, sed diversas esse plantas*; alias inter folia piperis albi et nigri Indi nullam distinctionem in Medicina facerent. a) Atque haec de pipere dicta sufficiant. Plura quidem adhuc de eo dici potuissent, verum ne nimis prolixus sim, vela hic contraho, Deoque T.O.M. pro praestitis viribus maximas ago gratias.

a) Ita & heri adhuc in libro manu exarato, de materia medica, quem auditores in lectionibus Cel. Pauli HERMANNI ex ore ipsius exceperunt, legi, quod *piper album detur nativum* et in peculiaribus plantis crescat, quod vero rarius esset, et maximam partem, quam haberemus, arte ex nigro aqua calcis macerato fieri, cui forte haud exigua fides adhibenda; quia non solum, ut Medicus et magnus Botanicus, iis in regionibus diu fuit, verum etiam res medicas ac botanicas magno studio perscrutari voluit.



Explicatio figurae Piperodendri.

A indicat caulem alicuius ramuli, aliquot foliis ornati.

BB foliola pinnata, quae unum folium maius constituunt, naturali magnitudine et figura: ubi tamen in foliis BB, foliola accurate sibi invicem opposita; in ramulo vero

CC, e diametro opposita non sunt. In cuiusvis folii apice folium impar, quod apicem terminat, conspicitur, B, D. quod in quibusdam foliis, ceteris vicinis non multum est longius; verum in quibusdam, sicuti in arbore Molle *Monardi* et *Clusii*, duplo aut triplo reliquis maius est, sicuti figura

E F, litt. F. ostendit. Vberior descriptio eius videri potest supra §. XVI.

Excellentio figuræ hyperbolicæ

A. indicat eandem aliam transill. aliquid foliis
musa

BB foliola pinnata, quæ unum folium tantum con-
stituit. namque magnitudine et figura; ubi ta-
men in foliis BB foliola secunde sibi invicem
opposita; in ramulo vero

CC e diametro opposita non sunt. In crassius foliis
apice folium super quod apicem terminat; con-
stituitur. B. D. quod in crassius foliis crassis
vicinis non opposita est; sed sunt; utram in quæ-
dam, sicut in a. bore. Nolle. Nolle. et C. quæ
quædam aut triplo triplo minus est, sicut figuræ

E. F. hic ostendit. V. prior descriptio eius videt
positi figuræ XVI



AB # 72 (1/18)

ULB Halle
005 526 345

3




SB

Sp 15.

QMA





B.I.G.

Farbkarte #13

MEDICA INAUGVRALIS
DE

E R E

QVAM
FACVLTATIS MEDICAE
ONSENSV
RESIDE

IO HEISTERO

NAE DOCTORE
ET LVNEB. A CONSILII AVLICIS
AE CHIRVRGIAE ET BOTANICES
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS.
G. LOND. ET BEROLIN.
COLLEGA

PRAECEPTORE SVO
AETERNVM DEVENERANDO
DV DOCTORIS

LEO MAIORI
POST MERIDIEM CONSUVETIS
DEFENDET

ONRADVS PFEFFER
NOLDINVS

PTEMBR. MDCCXL.

MAESTADII
NA SCHNORRIANA.



*celebr. Klein
Profes*